

C O N C I O IV.

DE MANDUCATIONE PASCHATIS, INSTITVTIO-
 ne S. Cœnæ, & prædictione Christi, quod vnus è discipulis eum pro-
 diturus esset, ex textu Matth. 26. à v. 17. ad 30. Marc. 14.
 à v. 12. ad 26. Luc. 22. à v. 7. ad 24.

AD duo capita præsens lectio referri potest. Agitur enim hîc
 I. de duobus Sacramentis, vno Veteris, altero Noui Te-
 stamenti, videlicet de agno Paschali, & de S. Cœna Domini.

II. Prædicat, & manifestat Christus proditorẽ suum Iudam.
 In primo membro describit Euangelista;

1. Quæstionem discipulorum de loco, vbi Pascha adparâre
deberent. Quæruntautem de loco non generaliter, (sciebant
enim extra Hierosolyman non licere agnum maçtare, & come-
dere) sed specialiter de diuersorio, quia ad instantem festiuita-
tem omnia diuersoria occupata, & vrbs tum incolis, tum adue-
nis tota repleta erat.

2. Sequitur Responso & instructio Christi, ad propositam
quæstionem, discipulis data, vt abeant in ciuitatem, & virum il-
lum, qui ipsis occursurus, & hydriam portaturus esset.

1. De voluntate Domini, quod modò apud ipsum Pascha
comedere velint, certum faciant.

2. Vt sequantur eum, tanquam promptum, & paratum ad sa-
tisfaciendum ipsorum voluntati, ibiq; pascha apparent.

3. Ponitur obedientia discipulorum.

4. Ipsa agni manducatio, de qua Lucas meminit, eam cum
singulari Christi lætitia, & desiderio peractam.

5. Sacræ Cœnæ tum institutio, tum prima celebratio subii-
citur. Etenim veteris federis promissiones re ipsa mox imple-
turus Christus, nouum fedus, nouis quoque mysteriis sancire
voluit. Duo autem sunt, quæ singulari studio ab omnibus Eu-
angelistis in S. Cœnæ Institutione commemorantur, & nobis
obseruanda sunt.

I. Sunt